Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25993
Copyright: Admont, Benediktinerstift

174

cetera

preceptorum, que innocentie, que data est in baptismo, que virtutes sunt dies, id est lux; sicut e contra peccata
sunt tenebre. Et ideo iustum est ut non intres, quia meditatus sum, id est o. o. t. idem in omnimodis
operibus, ut in sanctitate et in aliis. Vel ita: In omnibus operibus tuis, ut hoc dicat: tota multi
tudo penitentium et inter omnes omnia hec facientes non unus omnia. Meditatus sum, inquit, et ad
huc in factis manuum tuarum, id est in hiis que tu operabis meditabor. Et ideo iustum est ut
non intres, quia ego expandi manus meas ad te, scilicet amplexandum, id est quia multum te dilexi.
Dictum est a simili illius qui eum quem diligit manibus expansis amplexatur. Et ideo iustum est quia anima
mea, scilicet tibi inhiat, id est te desiderat, sicut terra sine aqua, id est arida existens aquam desiderat. Dixi
supra exaudi orationem meam; hac, scilicet velociter exaudi me, id est in dilatione purifica me
a peccatis. Et ideo exaudi quia defecit, id est cessavit spiritus meus, scilicet a prioribus operibus. Et hac exaudi: non
avertas faciem tuam a me, id est redde pulchritudinem et decorem tuum, scilicet virtutes et bona
opera. Et si averteris, similis ero descendentibus in lacum, id est tunc descendam in profundum vi
tiorum vel in lacum, id est in infernum. Et hac exaudi: misericordiam tuam, vocem illam venite bene
dicti patris, que vox ideo misericordia dicitur quia misericordiam significat; fac auditam mihi, id est ad meam uti
litatem, id est fac me participem illius glorie quam vox illa significat, mane, id est in die resur
rectionis. Et merito debes hoc facere, quia in te speravi, id est spem meam in te posui, non in alio.
Et hac exaudi: notam fac mihi viam, id est fac mihi cognitum quante dignitatis et altitudi
nis sit res illa que est via per quam itur ad te, scilicet castitas et similia, in qua, scilicet via ambulem, id est per
severem. Et hoc ideo fac quia ad te, scilicet expetendum, per istam levavi animam meam, scilicet attentius. Et hac
exaudi: eripe me de inimicis meis, scilicet occursantibus, id est postquam liberavisti a pharaone et
a servis eius, id est a pristinis peccatis, libera et a subsequentibus, qui signati sunt per hostes illos qui postquam egressi
sunt maris rubri filiis israel in deserto occurrerunt. Et hoc iustum est, quia ad te confugi, id est non in vi
ribus meis fretus sum, scilicet ad te solum confugium feci. Et hac exaudi: doce me facere volun
tatem tuam, id est qualiter possim adimplere voluntatem tuam, videlicet castitatem et ceteras virtutes.
Et hoc bene potes facere, quia deus meus es tu, id est creator meus et dominus. Aliud est scire quante digni
tatis sint virtutes, aliud est cognoscere qualiter possint acquiri ipse virtutes. Dixi non aver
tas faciem tuam, id est ut mihi reddas pulchritudinem tuam, et ita erit. Spiritus tuus deducet
me, id est tu deduces me in terram rectam, id est in officium et naturam recte tenere, ut ad eius fimit
sem mihi commissum, id est rationem et liberum arbitrium, scilicet opera bona reddam multiplicatum. Et hoc fa
ciet ideo quia bonus est naturaliter. Et cum ita sit, non potest me deducere nisi in ea que recta sunt. Et
quod tu vivificabis me in equitate tua, id est quod tu deduces me in terram rectam, id est in multi
plicitatem virtutum et bonorum operum, hoc fiet propter nomen tuum, id est propter gratiam tuam. Dixi ve
lociter exaudi me, et ita erit. Educes de tribulatione, scilicet viciorum, animam meam. Dixi eripe me
de inimicis meis, et ita erit. Tu disperdes inimicos meos, id est pravas suggestiones et a
lia peccata, in misericordia tua, id est gratuita benignitate tua. Et non solum inimicos interiores, scilicet
sed omnes qui tribulant animam meam, sive interiores inimicos, videlicet peccata, sive exteriores, scilicet per
secutores perdes. Et hoc iustum est, quoniam ego servus tuus sum, scilicet per penitentiam, quasi diceret:
Non solum ex gratia, scilicet sed etiam ex merito hoc facies. **David adversus Goliam.**

Tractatus iste datus est, id est perfectorum, qui docti sunt pugnare contra Goliam, id est contra diabolum et membra eius.

scilicet propter quod nullus salvari potest. Vel ita: In omnibus operibus tuis.